



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV**

**Muret, Marc-Antoine**

**Antverpiæ, M. D. LXXXVI.**

Cap. 17. [i. e. Cap. 18.] Breuitatem & obscuritatem aptam esse ad  
terrorem inserendum, aliquot exemplis confirmatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

*Brevitatem & obscuritatem aptam esse ad terrorem inferendum, aliquot exemplis confirmatum.*

## CAPVT XVII.

**B**REVITAS loquendi, & sermonis obscuritas im-  
periosum quiddam habet, ideoque aptissima est  
minantibus vtraque, mirificeque prodest, ad animos  
eorum quibuscum agimus, perterrefaciendos. nam vt  
in tenebris magis timentur omnia, quàm in luce: sic  
illa orationis quasi tenebræ terribiliora reddunt ea  
quæ proponuntur. Idque, vt opinor, secuti sunt Lace-  
dæmonij, cum ad Philippum ita scripserunt: *Lacedæ-  
monij Philippo. Dionysius Corinthi.* Multo enim fortior,  
& vt Lucretij verbo vtar, penetralior illa breuitas fuit,  
quàm si ita dixissent: Dionysius cum aliquando præ-  
potens tyrannus fuerit, vti tu es, nunc tamen regno  
exutus priuatam Corinthi vitam agit. Vide, ne, dum  
aliorum libertatem studes opprimere, idem tibi quo-  
que contingat. quæ iam non deterrere, sed admonere  
cupientium fuisset oratio. Neque dissimile illud De-  
metrij ad Locrenses: *Faxo, cicada apud vos humi canant.*  
cum significaret, totam à se illorum regionem deua-  
statum iri. Atcæas quoque Scytharum rex hanc olim  
Epistolam ad Byzantinos misisse fertur: *Nolite vectiga-  
libus meis detrimento esse ne equæ meæ ad vos aquatum eant.*  
Idanthuras autem, qui & ipse Scythis regio imperio  
præfuit, multo etiam obscurius. nam ad Darium, qui  
Istrum traiecerat, litteras quidem, quibus ei minaretur,  
misit nullas, sed pro litteris symbolum hoc: *mu-  
rem, ranam, auem, sagittam, aratrum.* Cumque hæc in  
Darij castris alius aliter interpretaretur: Orontopagas  
tribunus militum censuit significari, eos omnium re-  
rum deditionem esse facturos. domorum: hoc mu-  
I rem



rem innuere. aquarum, aëris, armorum, regionis: harum rerum symbola esse, ranam, auem, sagittam, atrum. At Xiphodres longè alio modo interpretatur. Nos verò, inquit, quantum hæc symbola ostendunt, nisi aut terram subeamus, ut mures: aut aquam, ut ranæ: aut euolemus, ut aues: non effugiemus ipsorum tela. neque enim terræ, quam ipsi arant, dominum sumus. Hoc Pherecydem Syrium narrare, ait Clemens Alexandrinus. Herodotus autem in Melpomene hanc ipsam historiam aliquanto aliter narrat.

*Locus Virgilij aliter, quàm à Seruio & Macrobio  
expositus. CAP. XVIII.*

**E**XCESSERE omnes, adytis, arisq; relictis,  
Di, quibus imperium hoc steterat.

Hos versus, qui ab Ænea in secundo Æneidos proferruntur, Seruius, & post eum Macrobius referendos censuerunt ad veterem quandam Romanorum consuetudinem, qui cum obiderent urbem hostium, eamque iam capi posse confiderent, certo carmine euocarent tutelares illius deos: quod aut aliter urbem capi posse non crederent: aut, etiam si posset, nefas existimarent, deos habere captiuos. Ego autem, cum illi qui hanc opinionem sequuntur, non sanè contendere. nam & ratione satis probabili nixa est, & à bonis auctoribus profecta. neque non tamen hanc veriorum & simpliciorum puto: ea nocte, qua capta est Troia, visos esse deos Æneæ, exeuntes è templis, & simulacra sua asportantes. Solitas certè à diis suis deferri eas ciuitates, quæ mox in hostium potestatem venturæ essent, aut saltem eam fuisse veterum opinionem, ostendit Æschylus, apud quem Eteocles offensus superstitione mulie-